

VIII. MONS ALBANVS (*Monte Cavo*).

Continet hoc caput inscriptiones repertas in vertice montis qui a Romanis dicebatur Albanus, ab Alba Longa urbe totius Latii metropoli quam ibi fuisse crediderunt¹⁾, hodie dicitur *Monte Cavo* — sed et hoc nomen originem trahere ex summa antiquitate nuper vidit Mommsen (cf. ad n. 2228) —, ubi etiam imperatorum aetate Romanorum magistratus ad unum omnes una cum reliquorum Latii populorum magistratibus quotannis convenire solebant sacra facientes Iovi Latiari, ferias agentes quae dicebantur Latinae²⁾. Pertinent ad eas ferias inscriptiones n. 2236—2244, sunt enim fragmenta residua ex fastis magistratum Romanorum, sed singulis annis adscripto die quo Latinae actae sunt. Incidi lapidi coepti sunt fasti hi sub Caesare Augusto³⁾, cuius aetatis

sunt etiam fragmenta n. 2236—2239 spectantia ad liberae reipublicae tempora⁴⁾, continuabantur etiam altero p. C. saeculo (n. 2242—2244). Ceterum insignium horum fastorum exigua frustula quo tempore prodierint, disseruit Rossius eph. epigr. II p. 93 et infra in singulis dicitur. — Ipsi Iovi Latiari dedicatus est n. 2227, imperatori alicui a sacerdotibus Cabensibus feriarum Latinarum montis Albani n. 2228. Ad sacra Romanis et Latinis communia videtur etiam spectavisse carmen, ex quo superest n. 2249. — Fragmenta plumbea n. 2233—2235, in quorum uno legitur annus 743, in altero legebantur fortasse nomina curatorum aedium sacrarum urbis Romae, et ipsa sine dubio aliquo modo ad aedem Iovis Latiaris pertinebant.

1) Veterum auctorum testimonia — si hoc vocabulo uti fas est — de situ Albae Longae composuerunt Cluver Ital. antiq. p. 900 seq. et Schwegler hist. Rom. 1 p. 340.
2) Testimonia veterum de feriis Latinis composuerunt Cluver p. 906 seq. et Schwegler hist. Rom. 2 p. 296 seq.
3) Videntur incisi fuisse non in tabulis, sed in ipsis parietibus aedis Iovis Latiaris; cf. de Rossi eph. ep. II p. 400.

4) Coepisse fastos hos non a regum aliquo, ad quorum aetatem origo feriarum Latinarum referebatur, neque a primis consulibus, sed a decemviris legibus scribundis satis certo colligitur ex n. 2236; cf. Mommsen *Röm. Forschungen* II p. 404 seq.

2227 fragmentum basis marmoreae litteris magnis et pulchris, rep. in monte Albano anno 1869.

L · RVbēLLIVs
GEMINVS · Cos
IOVI LATIARi
vōTVM

Henzen et Bormann *bull. dell' Inst.* 1870 p. 136, huius corporis vol. VI n. 2022.
Est consul ordinarius anni p. C. 29.

2228 fragmentum basis marmoreae rep. in monte Albano anno 1869. Postea extabat Romae in museo Kircheriano.

IMP · CAES · T
C A B E N s e s
s A C E R D O T E
feria R V M · LATINARVM
5 MONtis ALBANI ·

Henzen et Bormann *bull. dell' Inst.* 1870 p. 136, huius corporis vol. VI n. 2021 et rursus n. 2173.
Ad Titum referri vetat Henzen propter litteras illius aevo indignas, refert ad Tacitum; sed fortasse rectius cogitari poterit de T. Antonino Pio. Cabenses sacerdotes feriarum Latinarum montis Albani ante repertum hunc titulum noti erant ex solo titulo C. Noni Ursi *sacerdotis Cabesis montis Albani* (vol. VI n. 2174; cf. n. 2175). *Cabenses* eosdem esse atque *Cabanos*, quos Dionysius 5, 64, *Gabienses in monte Albano*, quos Plinius 3, 64 recensent inter populos veteris Latii, monuit Mommsen *bull. dell' Inst.* 1861 p. 206. Praeterea hic populus non memoratur. Videtur igitur mature periisse, sed remanserunt sacerdotes, similiter ut Caenina urbe deleta remanserunt sacerdotes Caeninenses. — Nomen monti quod hodie est *Monte Cavo* ab eodem populo esse derivatum vidit Mommsen l. c.

2229 fragmentum cippi marmorei rep. in monte Albano.

IMP ·

Armellini *cronichetta mensuale* 1876 p. 158.

2230 fragmentum marmoreum in monte Albano.

m. agrippae cōS · TER
trib. potesta TE · VI ·
PATRONO a. 741/2

Descripsit de Rossi.

2231 saxum quadratum lapidis Albani, rep. in monte Albano.

restITVERunt
ARDEATES

Henzen *bull. dell' Inst.* 1870 p. 137, huius corporis vol. VI n. 2020 ex ectypo subministrato ab I. B. de Rossi.
Sacrorum Latinorum montis Albani participes fuisse etiam Ardeates, quamquam origine fortasse a Latio alienos, scimus ex Livio 32, 4.

2232 fragmentum marmoreum, Rocca di Papa *nel cortile della casa del sig. Enrico Fondi*.

. VSTATEC
. TVIT

Armellini *cronichetta mensuale* 1876 p. 139.
Aedem vet[ustate] c[ollapsam] restituit supplet Armellini, cogitans de ipso templo Iovis Latiaris.

2233—2235 fragmenta laminarum plumbeae, quae Rossio videbantur superesse ex uno pluribusve castellis aquae recipiendae et distribuendae destinatis. Rep. in monte Albano anno 1876, postea Romae apud Institutum archaeologicum.

2233

cVR · AED · S)acr
IVS · CA
IV

Descripsit Dressel, ipse vidi ectypum. Mich. Steph. de Rossi ann. inst. arch. 1876 p. 330 (inde Lanciani syll. epigraph. aquar. n. 358).
1 supplevit Rossius.

2234

COS CXLI AX · VB · COS
CCCCIIII

Descripsit Dressel, ipse vidi ectypum. Delineavit Mich. Steph. de Rossi ann. inst. arch. 1876 tab. Q fig. 4 cf. p. 329 (inde Lanciani syll. epigr. aquar. n. 360).

2235

CCCXLV
CXV

Descripsit Dressel, ipse vidi ectypum. Mich. Steph. de Rossi ann. inst. arch. 1876 p. 329 (inde Lanciani syll. epigr. aquar. n. 359).

Tituli hi leguntur in plumbo litteris extantibus, praeter solos numeros ex n. 2234 qui sunt litteris depressis. — N. 2244 est anni u. c. 743, *Max(imo) Tub(erone) co(n)s(ulibus)*; eiusdem aetatis esse n. 2233 nequaquam constat; litteratura certe dissimilis est. — Numeri in n. 2234, 2235 quo pertineant, incertum est.